


IN SIGNIS EFFUSIO P A D I

IN AGRO MANTVANO,
Anno Domini MDCIX.

Monachis Congregationis Casinensis per vniuersam
Italiam Deo famulantibus fratribus
nostris,

Monachi Sancti Benedicti pacem præcantur,
& perfectam CHRISTI Dilectionem.



M E D I O L A N I

Apud Marcum Tullium Malatestam,
Typographum Regium.

I D A Y

Imprimatur.

F. Aloysius Bariola Augustinianus
Consultor Sancti Officij, pro Re-
uerendissimo Inquisitore.

Aloysius Bossius, Can. Ord. Theo-
logus, pro Illustrissimo Cardinali
Archiep.

Vudit Saccus, pro Excell. Senatu.

IMAGO IDEA

Digitized by Google



Vltifariam, multisq; modis
visitauit Omnipotens Deus
olim Patres nostros, et nos:
suauius quandoque in do-
nis, & in benedictionibus,
quandoque acrius in pla-
gis, & in percussionibus.

Sed nouissimè diebus istis
visitauit in FLUVIO, quem fluuiorum Italiæ dedit
Principem per quem fecit. & iudicia, Fratres dile-
ctissimi. quæcum audieritis, tinnient sine dubio au-
res vestræ. Nam ipse Deus iudex iustus, & fortis,
multimodis nostris, Populiq; huius auersionibus,
& erratis prouocatus, cum plus æquo patiens con-
uersionem expectasset, & à tam singul ariter electa,
potioribusq; muneribus aucta, sibiique carissima
Finea quæsiuisset vuas, ac spinas, & labruscas
reportasset: demetere, & exterminare penè statuit
eam per Aprum de silua et singulararem ferum, Am-
nem videlicet potentissimum; cuius manui Ceno-
bium amplissimum, vetustissimum, magnificentissi-
mum, fæundioremq; Mantuanum Agrum latissimè
ad deuastandum tradidit. Quamobrem initio men-
sis Nouembris Anni labentis, qui est Salutis Mil-
lesimus Sexcentesimus Nonus, post copiosam qua-
rumlibet frugum messem affluenter impensam, forte
ut grauius feriret, arcum indignationis tetendit, &
in eo vasa mortis ad vltionem parauit: emittensq;
priores sagittas mandauit nubibus desuper, & ia-
nuas Cæli aperuit, ac pluit nobis mala ad veran-
dum, & ad perdendum; imbres nempe assiduos, &

perennes per dies supra viginti, in quibus vel nubilus, vel tenebris sus Sol nobis illuxit. Alias deinde ingeminans, trastulit Africum de Cælo, & induxit in virtute sua Austrum, qui fluctus Adriatici sinus in tumorem vertens, fluuij decursus retardaret. & ne dulciora fontium tributa per ipsum transmissa Mare exciperet, inuidus impediret. Sicq; fiebat, ut PADVS iste, qui superbè phaleratus, ac turgidus septenis cuneis in Pelagus intrare Marinique Regno non debitum soluere, sed bellum indicere consueuerat, vento retrocedere compulsus, in nos pauidos, & perditos irrogatae sibi iniuria & vindictam retorqueret. Postremas denique succensus nimis iterans, è mentibus, tanquam ex longinquis machinis, liquefentes niues, veluti dissipatrices globos absque intermissione iaculari non destitit. Videbaturq; Altissimus omnia simul armasse elementa, & ipsum Orbem terrarum, ut pugnarent aduersum nos miseros, & insensatos: atq; congregasse super nos mala cuncta, & sagittas suas compleuisse in nobis. Namque ab eo expeditione accepta audacissimus ERIDANVS, ad nos obruendos se velociter accinxit: & ter decem sibi strenue adherentium fluminum innumerabiliumq; fossarum, ac Riuorum sibi subiectorum acto agmine, Vallorum omnium, seu Aggerum impugnationem formidabiliter intimauit, & aggressus est. In primisq; leuiores, & in dies grauiores vndeunque ad riparum ambientium latera frequentans impetus, anxios diu vexauit Colonos. Indem mollium suorum arietum importunis percussionibus occultostentauit hiatus te-

5

rebrare, quos solliciti custodes subito sarmenatis, glebis, et tabulis oppauerunt. Sed obseratas videtis multoties secretiores vias, ad apertum prodijt certamen; erectusq; in sublime, elatusq; nimium, anteriora Castra super effundens, locis premisit in declinibus, terrores, ac timores ubique incutiendo. Obsidionem hanc asperrimam plena hebdomada prosecutus est: nutantibus, ac trepidantibus illis non modo, qui trucem proprius intuebantur inuidentis facie, sed etiam ijs, qui in remotioribus oris implacabilem eius audiebant saeuitiam. Tandem vigesima secunda die prenotati Mensis, se ipso semper validior, & robustior, statutorum limitum angustias ægrefrens, Imperijq; fines pretendere intentas, eo conatu, & impulsu in infirmiora irruit propugnacula. Ripæ, seu Focarini (quæ pagus est supra nos ad Occidentem millaria distans circiter viginti, ac nobilium quorundam possessio Mantuanorum) ut nulla potuerint ratione Immanissimi Vastatoris incursum, rabiemq; sustinere, nullisque artibus obflare, quin breui temporis spatio, scisis, & cōfractis aggeribus, dissipatis muris, & antemuralibus, prostratis viliarium tugurijs, tres patentissimos sibi ad depopulandum, & deuastandum aditus patefaceret. Quos etiam, tanquam molis suæ incapaces, non multò post in unum redegit. Hic statim cerneret dirissimas Aquarum Turmas latissimam vndique operire regionem, campos omnes occupare, vberrima sata opprimere, vineta prosternere, siluas eradicare, nobilium palatia euertere, agricolarum domicilia comminuere, fugare lepores, cuniculos, aliasque paruas.

bestiolas, abigere vulpes, lupos, apros, illosq; pro
 vita seruanda contra naturam mansuefacere, atque
 hominum societati, sortiq; coniungere, armenta ne-
 care, diuitum, ac pauperum substantias confundere,
 & disperdere, omnia vorare, cuncta demergere, in-
 satiabili ingluvie vniuersa secum in prædam detra-
 bere. Ulteriusq; progredientes rapi diffimo cursu in
 prædia nostra, in rustica nostra diuersoria, in fæni-
 lia, in bouilia, in equilia, in ouilia inuehi: dissipare
 fœnum, & paleas pro armentis asseruatas, vt ne-
 cessè fuerit dispersos greges aliò apud extraneos ma-
 ximis incommodis, & laboribus pascendos deduce-
 re. Videres insuper easdem Monasteriolum Vallis
 Viridis circum circa concutere, & in Phanum Bea-
 tæ MARIE dicatum imp̄issimè vsque ad aras fer-
 ri, & per totam domum debacchari: faciliq; nego-
 tio Aggerem primò nostrum, Benedictum nuncu-
 patum, alijs tutissimum transcendere; Verularum
 postea Monasterio nostro proximum, solerti Mo-
 nachorum industria, (sicut & Benedictum) ma-
 gnisq; expensis constructum, vnanimiter impetere,
 & confundere. Hic audires vocem Domini super
 aquas, Deum Mai statis intonantem: Accelerat
 spolia detrahe, festina prædari. Duorum enim, vel
 trium dierum viam nocte una confecerunt Aquæ,
 his adhibitis Diuinæ iussionis calcaribus; & à Ripa,
 quæ per viginti circiter cubitos locis nostris supere-
 minet, præcipites, & sine obice cadentes, repentinæ,
 & inexpectatæ nostris se se oculis subiecerunt. His
 visis quid agerent concussi Monachi? Quid AN-
 GELVS GRILLVS Præsul mæstissimus? Quid

perterritus Populus omnis? Turrim constendunt
 famuli, lugubri æris pulsu, altaq; simul, & tremula
 voce, viros, feminas, parulos, conuicinas villas
 incolentes, ad prædictum Verularum Aggerem
 muniendum conuocantes. Templum adeunt fratres,
 Missarum frequentibus sacrificijs, Horarum Qua-
 dragenarum deuotis precibus, & circum effusis per
 claustra in Cœlum supplicationibus, Dei misericor-
 diam implorantes. Familiæ Cellerarius, Marcus
 Mantuanus, magna comitante Ministrorum, &
 Opificum caterua, terrea illa mænia, que Monaste-
 rium cum Oppido, & cōmodioribus gratiорibusq;
 fundis seruabant, prouidus circumcursat, alterum
 hic, alterum illic exercet, atq; disponit. Omnes in
 unum humiliora loca feruenti labore exportata bu-
 mo ex agris quam citissime extollunt, & altioribus
 æquant. Monachi, alij præsunt operibus alij in co-
 phinis deseruiunt: tractant alij batillia, ligones, ir-
 pices: alij vigiliarum alternant vices. Et per duos
 dies, totidemque noctes, insomnes, fessi sine requie,
 sub dio, indeficientibus pluvijs madefacti homines
 nostri nihil defensioni, nihil reparacioni congruum,
 studio, & prouidentia instantis Abbatis præter-
 mittunt. Atque utinam Vincentis iam PADI
 libentes primo cessissimus furori, placatiorem nobis
 forte procumbentibus, & absque contradictione se
 dedentibus sensissimus. Sed interea momenta per
 singula prævalente illo, & nostrorum iridente sol-
 licitudinē, grauioraq; damna minitante, consilium
 fuit in propinquitorrentis alucum, quem Situlam
 vocant, immensam aquarum vim declinare, atque

deuertere, & tam vasti corporis, humoris superabundantia grauati, tumescentes venas inciso aliquatenus vallo, adaperire. Sed obsterunt trans Torrentem (amici pridem) Oppidani cuncti; qui suis rebus cauentes, iram grassantis Prædonis oppositis munimentis deuitare, studiumq; nostrum iæstatis conuitijs, minis, iaculis perturbare, ac demoliri voluerunt. Nec valuerunt tamen. Is enim nostris omnibus erat animus, huic operi adeo constanter insistere, ut hic vel aquam demitterent, vel animam. Repetitis itaque sectionibus fatiscente iam vallo intrepidæ erumpunt Vnde, nouemq; sibi patulas effodiunt portas, e quibus ad nouas cædes exeam in aduersarios. Quos illicè egressæ tenuerunt, & altius vociferantes infeliciter obtexerunt. Iustèque nos vidimus (sed inuiti, & dolentes) contra amicos nocentes per Hostem innoxium vindicatos. Verum quid arctos erat superingruenti Oceano aliueolos preparare? Aut quo poterat modo per acus foramen intrare Camelus? Aut qua ratione frætum valebat innexcabile fistula tenuis exhaustire? Cessate, indignabundus tunc ait ERIDANVS, cessate, abite, & vestræ, si vacat, saluti consulite. Ego, ego, victricibus meis Copijs triumphales, & me dignas, parabo semitas; & quidquid aduersum fuerit facile æquabo. Si quidem velit is, nolitis, Castra vestræ, munitio[n]es, repagula, diuitias, delitias, calcabo, iugulabo, si iugabo. Ad hæc verba oculis magis quam auribus percepta, Monachi vicinam stragem metuentes, pars diluculo altaria spoliant, Sacras Diuorum Reliquias, Sanctissimumq; Eu-

charistiae Sacramentum; Ecclesiæ multiplicia or-
 namenta, Sacerdotum plûrima indumenta, & p̄ræ-
 tiosa quæque e sacrario ad superiora lacrimabundi
 deferunt. Depositoq; C H R I S T I corpore in in-
 firmorum capella, assiduis singultibus, interruptisq;
 vocibus bini, terni, & quaterni inuicem succeden-
 tes, fratres iterabat prostrati. Saluos nos fac Deus,
 quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad animâ nostram.
 Nō nos demergat tēpestas aquæ, neq; absorbeat nos
 profundum, neq; vrgeat super nos fluuius os suum.
 Pars alia vasa, pharmaca, libros, oleum, edulia, le-
 tulos, copiosam, grauemq; suppelle etilem suis hu-
 meris ad tutiora baiulant. Idem peragere sat agit
 domestici, & vicini, Cellas nostras promiscu's re-
 bus implentes, vt depulso ab iniuiabilitib' atrijs
 silentio, confusum hic te existimares videre empto-
 rium, non Religiosorum quietum Domitorium.
 Famuli, quibus cura incumbebat eq'orum, asello-
 rum, porcorum, altiliū, numero ss, & renitentes
 agunt greges à sordidis stabuli ad augustiores au-
 las, ad nobiliara hospitia, ad Monachorum politio-
 res secessus, & heu horrenum visu: breui tempo-
 ris interuallo, fæcibus, immunditys putoribus, hin-
 nitibus, ruditibus, grunnitibus, varijsq; v'lulatibus
 omnia complentur. Hæc domi apud nos. Sed foris
 Depopulator noster, moræ longioris impatiens, &
 acriores anhelans clades, ipso adueniente die, quo
 Beatam C H R I S T I sponsam Catherinam impius
 necauit Maxentius, qui est præfati mensis vigesi-
 mus quintus, Matutinorum hora, laxatis furorum
 ac furiarum suarum habenis, premunitam Verula-
 rum

rum Maceriem, licet usque ad duos cubitos recentibus terreis coronis auctam, plerisque in locis supergreditur, & in plerisque infringit, atq; deuastat. Mox tenet suburbia: aduolat dicto citius ad Monasterium: pulsat, & pandit ianuas, valenter clamitans, non ut Excitator nosler. Surgite Monachi, venite ad officium; sed, surgite miseri, venite ad exercitium. Cui extemplo omnes patent ingressus: plurimi certè nobis, sed pauci Tiranno. Cedunt corruentes muri Simeonini pomarij, nec non & lateritia septæ aliorum hortorum. Et nullo obstante circumuagatur per porticus per Claustra, per Officinas, per gymsia, per Refectorium, per Coquinam, per viridarium. quærens ubi cunq; quem deuoret, quem perdat fratrum laicorum cellas ad fenestras usque occupat. Iustus culparū Capitulū, Dormietiumq; in Dño cineres e pulcris excitans, suis lutoosis inuoluit gurgitibus. cellariam, eximia structura vasorumq; magnitudine j-mosam, & meri annona refertam, ebrius nescio, an stibundus dicam, ingreditur; non amphoram potaveru: sed dolia ferè ducenta exhaustus, vel profusurus magis. Ex quibus cum vacua, & occlusa viginti hinc inde supernatarent, & forniciem firmissimam flumine eleuante vi magna impeneterent, (mira res) fornix ipsa cedere compulsa in medio crepuit, ac projectis circum circa lapidibus, per quatuor cameras dolis, & vndis liberum fecit iter. Postremò Templū eminentiori dispositum loco, non inuisurus, sed inuasurus ascendit: nec orationem oblaturus, sed ruinā. Pavimentū cæno per cubitum, & amplius contaminat, Sandorū polluit delubra scandit

scandit gradus, serpit ad Aras. Quas & sacrilegus
 temerasset, nisi BENEDICTI Patris, Nere-
 micolæque SIMEONIS reprimenterem faciem
 erubuisse, audissetq; ab eis. Hucusq; gradieris. Satis
 est. Nequaquam tibi datum est ulterius sœnire.
 Animas & Aras à Deo obtinuimus. Discede hinc,
 & in temetipso confringantur tumentes fluctus tui.
 Qui istiusmodi increpationibus repressus, aā quartū
 stetit submersumq; Chori graāū, tribus inferioribus
 iam ascensis; & prohibitus in Monasterio insolentius
 grassari, abstinenſ à Sacrario, & à Choro t.
 tum, inde fremens, ac ſumans ad incolas ſubj^s
 nos, ad villas viciniores, ad quoscumq; veſtrimi-
 inſequendos, maſtandos ſe conuertit. Cui a dare,
 dabilem ſentientes aduentum, vniuersi, q;, ac ſar-
 & fugam arripere festinabant: graba colla filijs,
 cinulis dorſo impositis, pendentib^{us} diuersorum
 ad latera vxoribus, & præcedē loca recipiebant.
 pecorum gregibus, ad altiora
 Commissarius Oppidi pro Se nissimo Mantua & Du-
 ce cum coniuge, & liberis^t ſacrarium configuit:
 honestiores ciuium cogn^a. & inopes quædam mu-
 lieres cum paruulis in orro ſeruatæ ſunt. Quidam
 autem tecta petebat, quidam excelsas ſuper arbo-
 res reptabant, lagentem ſicum familiolam attrahen-
 tes. Multos autem anieuertebat fulminis potius,
 quam fluminis Vnda: rapiebatq; in turbidum verti-
 cem homines, boues, oves, iumenta, ſues, ligna, tra-
 bes, tabulas, vasa dolia, lectulos, arcas, hominum,
 & armentorum escas, & innumerabilem rerum om-
 nium copiam: ipſas quoq; integras domos, quarum
non

non modo penitus abstulit vestigia, sed eārum loco profundas excauauit voragine, piscium faciens habitacula, quae erant hominum. Comminuit omnia Villæ huius inter Mantuanas opulentioris ædificia, vel in totum, vel in partem. Nec auitq; ac inter ruinæ tumulauit nonnullos, qui tum in arboribus, tum in domorum culminibus salutem quærebant, & casum quantociùs inuenierunt. Nec pepercit atrocissimus Deuastator prægnantibus feminis: binas enim in ipsa fuga prætimore infelices coegit edere natos; illisq; obstetricum leuamenta detruncans, cum acerba prole grauissimos, & insuetos iussit experiri dolores. Sed quid dicam prægnantibus, & fugientibus? Desauit etiam in obsequentes, & viam contractius peruaganti dilatantes. Undenos enim viros, qui in parua cimba ripam fluminis effodiebant, ut latius inde flueret, concitato turbine egrediens viuos deglutiuit, indigestusq; turpiter mortuos, & conglobatos euomit. Hinc ploratus, & plulatus multus. Hinc confusæ mulierum, infantium, spoliatorum, cæforum pereuntium bestiarum, hominumq; voces; quæ iunctæ aquarum prolabentium fragoribus, horribilem configebant, & protendebant sonitum, similem certè terræmotui, vel tonitru. Unoque aspectu & Eniuersalis Diluuij, & Extremi iudicij viuam licuit imaginem intueri. Lugebat mater inconsolabili mærore ante se raptam à latrone filiam, & immatura morte peremptam. Senior parens præcisum lamentabatur baculum senectutis in prærepto filio. Mutuis coniuges angebantur doloribus, ab alteris tro se cernentes sorte diuisos. Oh quam multi vita

optauerunt carere, vel visu? Sensus quippe omnes
 ad cruciatum erant, non ad solatum. Hæc audiui-
 mus, hæc vidimus oculis nostris, hæc manus nostræ
 tractauerunt de verbo mortis, quod fecit Dominus
 super terram nostram. Et per tres dies, quibus in
 Monasterio commoratus est infestissimus Hospes,
 ipsi nautæ fuimus, & phaselis propediibus usi-
 sumus, & Domus hæc magna magnum fuit nauigium;
 quin potius altera Arca Noë, in qua custoditæ sunt
 familiarium, atq; peregrinorum animæ, & uicinorū,
 quæ colluisioni subtrahi potuit substantia: quæ uti-
 nam deperdita pars fuisset centesima. Nam, ut uil-
 licorum, & operariorum nostrorum fideli relatione
 didicimus, præter suffocatas sementes omnes, &
 ablatam omnino spem annuæ messis; ex horreis ipsis
 comminutis furatus est rapacissimus Prædator tri-
 tici, hordei, millij, fabæ, aliorumq; leguminum sex-
 taria Mantuana quatuor millia, & amplius. Nu-
 meratæ insuper fuerunt domus funditus euersæ octo,
 et nonaginta; aliæ in magnam partem concussæ duæ,
 & nonaginta; fænilia spoliata duo. & quadraginta.
 In quibus reparandis, & in reficiendis aggeribus
 effractis per diuersa loca ad mensuram cubitorum
 mille quingentorum, & in expensis ad obuiandum
 inundationi iam factis, & statim post illam facie-
 dis, ut ad calculum reuocarunt Ministri Monasterij
 ascendendum esse affirmant ex parte nostra tantum
 ad summam nūmorum argenteorum uigintiduo mil-
 lium quingentorum. Quo tamen tempore singularis
 enituit pietas Religiosissimæ, ac Serenissimæ Ducis-
 sæ Leonoræ, quæ absente Mantua uiro, ope, muneri-

bus, elemosinis interfuit Populo, fame, frigore, inopia
 laboranti, & sine te^cto in ripis PADI, & Si-
 tulæ, & in tremulis stipitibⁿ niibus, & pruinis ex-
 posito, cibaria in actuarijs nauibus ab Urbe mini-
 strando. Et nobis ipsis à modo, necessitate (ut ita dicam) abstemij, leniora pocula per suos à cubiculis
 largiter impertiendo. Adfuit etiam tantæ calamitati filius, Cardinalis Illustrissimus, qui uerbis, pa-
 nibus, pecunijs, subditos maximis ærumnis confectos
 humanissimè solabatur. Cui misericordiæ operi per
 duas, quoq; hebdomadas non impigri institerunt,
 iubente, & urgente Abbatे; Cellerarij, & Procu-
 ratores nostri; qui in paruis ratibus circuentes, pa-
 ne, & argento pauperes reficiebant. Prouiidebantq;
 ne aduentitij nautæ indiscretam, quam petebant mer-
 cedem pro naulo ab ijs extorquerent, quos ab aquis
 ad alta deducebant: neue domestici fures uagan-
 tem pauperum substantiam absorberent. Factum
 Janè Diuinæ ita acceptum Bonitati, ut redundant
 illud remuneratione uiderimus compensatum. Multi
 enim adiacentium Monasteriorum Prælati, bino^s,
 uel ternos singuli Monachos in suis Conuentibus
 alendos suscepereunt; cunctos quoq; suscepturi prom-
 ptissimè, si dulcissimis eorum inuitamentis, & non
 Ecclesiæ necessitatibus habita ratio fuisset. Per millia-
 ria sexaginta, dum hæc aguntur, diffusus spatiatur
 ERIDANVS, apertoq; sibi novo ostio (iuuan-
 tibus tamen nostris) ueteris aluei sedem prædarum,
 ac rapinarum plenus, sed minimè saturatus paula-
 tim repetere cernitur. Nec inde procul alijs Campis,
 & Castellis Mantuanæ, & Ferrariensis diictionis,

eadem crudelis Pirata intulit clades, & flagella.
& præcipue in pago Quingentulano, in quo sunt ru-
rales delitiæ, & redditus Episcopi Mătuani. Sed alij
sua dāna narrēt. Nostra nobis uix sūmatim attigisse
sufficiat. Quæ quoniam in dies grauiora noscuntur,
& hominum estimationem excedunt, propterea hic
sigillatim nequiuimus ea recensere. Sed pauca hæc,
Fratres Amantissimi, significāda duximus charita-
ti uestræ; ut dum uobis iustam Dei in nos correptionem,
& animaduersionem exhibemus, fraternalm
non solum commiserationem, sed piam quoq; apud
iratum Patrem cōmendationem suscipiamus. Qui
duplici contritione contritos, uagos, & profugos,
qua solet benignitate, instauret, congreget, atq; con-
firmet: innouetq; dies nostros sicut à principio, ut
confiteamur Nomi ni Sancto eius, & de magnis pe-
riculis liberati magnificè gratias agamus. Cui bene-
dictio, & claritas, & sapientia, honor, uirtus, &
fortitudo in secula seculorum. Valete in Domino.
Ex Stagno Benedictino Kalendis Decembris.

M D C I X.

